

ARCHIVO HISTÓRICO
PROVINCIA
VALLADOLID

Archivo Universitario

A-43

1870

R-2397

ARCHIVO HISTÓRICO
PROVINCIAL
VALLADOLID

Oratio inauguralis

IN HAC REGIA ET PONTIFICIA UNIVERSITATE
VALLISOLETANA PRONUNCIATA

R. D. D. Antonio Maria del Valle,
Sanct. Eccl. Cathedralis ejusd. civit. Lec-
torali Canonico, Oratoriaeque artis Academiae
Moderatore,

DIE XVIII OCTOB. ANN. DOM. M.D.CCCXXIX.



VALLISOLETI APUD APARICIO.



A-43

Ratio inaugurata

IN HAC REGIA ET PONTIFICIA UNIVERSITATE
VALLESOLETANA PRONUNCIATA

Antonio de Valle
Rectori
Hoc est
Hoc est
Hoc est

DIE XXIII OCTOB. AN. DOM. MDCCLXXIX



VALLESOLETANA PRONUNCIATA

quod est... et hanc
tunc et vitam ipsam hanc
est hanc et scilicet hanc
gubernat hanc hanc hanc

Illuxit tandem, Doctores amplissimi, exspectata dies, qua in hunc Minervæ dicatum locum de-
nuo collecti, in studiosæ juventutis eruditione nos iterum versari debeamus; sed, dum pro mei munere obeundo, attentos vos redere intendo, nec mihi suppetunt vires, nec satis ingenii, ut rem vestræ amplitudini accommodatam, quamque pro dignitate vestra hodierna die exaudire possitis, perficere audeam. Nihil mihi notum, quod vos apprimè callere non arbitrer. Nihil: quod vestris otiiis, lucubrationibusve non inser-
verit, vobis exhibere contendam. Quantus in scientiis ostendatur fructus, quantus in earum suscipienda ratione nos labor exerceat, experi-
mentum vos nimium edocuit: ea enim est à pue-
rili ætate, et religiosa, et politica vestra institu-
tio, ut nec vos lateant uniuscujusque munera, nec quidnam sit honori præstandum. Quæso igitur à vobis, ut ad has tenellas propagines, quas excolere intenditis, verba facturo, mihi detis hanc veniam, quâ sic eas adhortari, atque in cæpto consilio firmare conabor, ut in studiorum prose-

quenda ratione, earum et commodum, et honorem, et vitam ipsam interesse cognoscant.

Juvenes: scientiarum studio nequid est negotiorum præstantius, nequid honorificentius. Quod si nulla alia præter hanc, quæ ex vitanda socordia oritur, ex illarum curriculo merces perciperetur, essent tamen avidè, enixissimèque collendæ. Quot enim, et quam fœda, crudeliaque in rempublicam ex adolescentum desidiâ in ad discendo manarint facinora, quamque ea sint flenda, nemo est qui non viderit.

Scientiæ præterea, dum comparatæ fuerint, ingrati ruris solitudinem jucundam efficiunt: lucem in noctis caligine proferunt: levant ergastuli vincula; feralemque vexationem tolerabilem reddunt. Scientiæ quidem adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant; adversis perfugium, ac solatium præbent. Immensus forem, si quæcumque bona scientiæ sparse- rint, undique collecta referre fas esset. Verum enim vero id erit cuiusvis facile persuasum, dummodo se à legendis excellentium hominum scriptis, quibus doctissimorum virorum res gestæ fuerunt expressæ, memoriæque proditæ, non audeat avertere.

At, ne quis existimet ab scientiarum disciplina delectationem tantummodo peti, admonere

opere pretium est earum studium nedum juvare, verum etiam honestare intellectum, facultatem nempe animæ nobilitate primam, quæ et vitæ hujus gestis, gloriæque præest, et in orbis modamine clavum tenet. ¿Quantum ¡Ah! doctum hominem interest et indoctum? ¿Quid Homerus ad Cafrum? ¿Quid cum Bufono Laponus? Diver- si scilicet generis eos esse dixeritis. Supra belluarum conditionem illum adeo mirificè extollit, ut id fortè sit jurè dicendum: tam longè à pecoribus homo abest, totque solertiæ gradibus, quot litterarum.

Huc accedit utilitas, quæ in munera omnia sive publica sint, sive privata, ex scientiarum usu redundat. Prætermitto summum imperium, et magistratus, quos, ut optimè regant erudiri jubet æterna sapientia: de his namque præclarum est illud in politicis dictum: "Beatos fore populos in quibus philosophi regnarent." Jamque vero ut eos facile patiamur sileri, qui aut æconomicæ societati jus dicunt, aut cuiusvis præficiuntur familiæ domesticæ; scientiarum meherculè beneficia, ¿nonne et artifex quotidie experitur in diversorio, et pastor in silvis?

Non defuere, qui scientias omnes quasi noxias traduxerint. Fateor. Sed istud convicium induxit, ut opinor, libido certandi, exercendique

(6)

animum. Nec enim quempiam ab his, quæ ad humanitatem pertinent, disciplinis tam aversum existimo, qui ridendam adeo ineptiam seriò unquam protulerit. Nam licet barbaræ leges doctos homines à civili societate rejecerint; atque rudes populi sapientes viros expullerint; tamen hæc tam tetra, tamque infesta vexatio non aliunde sumpsit initium, quam ex immoderata licentia, ac ex nimio æstu relegandi bonos, quibus effrænata cupiditas probanda non foret. Patet Romanorum Historia, patescit et Arabum. Uno verbo: non est è flagitiosorum hominum perditis moribus æstimanda virtus; nec honestas ducenda ex sceleratorum sententia, quæ sanè tantumdem proderit istis, quantum injuriæ præcellentibus intulisse videatur.

Jam id magis, magisque patebit, postquam scientias, quibus in hac percelebri Academia datur opera, quasi obiter percenseamus. Rhetoricæ, necnon Grammaticæ artes omnibus nos reddunt acceptos, et ita quasi participes ejusdem sive gloriæ, sive laboris, ut calamitates nostras cæteri compatiantur, atque præterea hujus vitæ honestas voluptates accendant. Logica vero animi nostri facultates in ordinem redigit, ac modum statuit, quo frui commode possimus luce illa superna, quæ illuminat omnem venientem in mun-

(7)

dum. At Physica, et Ethica duplicem nobis respectum ob oculos ponunt, quem certe simulatque ex earum defectu subverti contigerit, miserisimè necesse est. Metaphysica autem exponit, quæ nobis partes in Mundi rerum scena mandentur, quamque in ea personam agere valeamus. ¿Nullane igitur in his cognoscendis utilitas? ¿Nullum his studiis commodum inest? ¿Nullus ex his disciplinis proventus exoritur?

Ad illa venio, quæ ad scientiarum genus sublimium pertinent. Cum in societatem coalescere humano generi à divina illa Providentia fuerit injunctum, à qua hujus instituti est monstrata necessitas malis his quibus intus, et extus, assiduè, ac undique premimur, ¿num vincula, et leges nescire quibus innectimur ullum unquam decuit, unquamve expediet? ¿Quid vero? Si esset unicuique perspicuum quid patriæ debeat; quid civibus; si notum quænam poena culpam maneat, quodnam supplicium in societatem admissum facinus, mereatur ¿an tot infandis flagitiis scinderentur respublicæ, turbarentur imperia, pax interiret?

Postremo cum ad eum ordinem supra naturam statum fuerimus evecti, quo aut felices nos esse oportebit, aut miseros Theologiæ sacris dogmatibus esse operam dandam, quis neget? Quid-

quid enim hac super tam præclara re, tamque eximia nostra referat, Theologia nos docet. Sed et nos homines sumus, ac sensibus perpetuò ducimur, quare nec finem illum ratione humanitate digna licet attingere, nec præclaram illam lucem à lumine revelationis profectam retinere valeamus, quin per visibilia signa visibilem ineamus societatem, in cujus cœtu hæc omnia sint assequenda. Quæ cum ita sint; supereritne ejusdem imperii, atque regiminis parta cognitio? Eruntve despicienda quæcumque illam efficiunt Montem excelsum, cujus vertex undequaque aspiatur ut ad eum Gentes omnes confluere possint? Frustra ergo scientias quis pernicipi insimulet. Siquidem illa quandoque facinori alicui ansam præbuerint, at certo certius est ex tunc hominem sceleratum fieri ex quo scientias contempserit, nec dubitandum, quin flagitiosus extiterit nemo, dummodo à scientiarum finibus nunquam discesserit. Minutis ergo quibusdam spiritibus nos undequaque circumstantibus, atque arroganter omnia susque de que trahentibus, ut divina humanis subjiciant, id erit quod olim à summo illo Angliæ Philosopho, Newtonem nempe, dicendum: "Verus Philosophus Atheus esse nequit."

Nunc jam ut ea, quæ communia sunt omitta-

mus, ad propria veniamus, cujusque munera sortem videlicet nostram, quam quidem, dum gerimus, jam tunc in gerendo et laus quæritur, et memoria nostri paratur. Atque ut à jure civili desumamus exordium. ; Eritne magno in pretio infelix æstimandus Leguleyus, qui nec legum codex vix fuerit unquam delibatus? Quid feret plausu, suisque accrescendis opibus digni Æsculapii imus alumnus, siquidem nec quid corpus humanum sit inspiciendum curaverit?

Quod autem ad scientias Ecclesiasticas attinet scio equidem nec quæstu esse ducendas, nec ad solum commodum revocandas esse; minimi namque penduntur cum ex his non aliud nisi lucrum intenditur. Sed tamen præmia quibus respublica illis deditos aliquando prosequitur, nec non honores per quos Ecclesia eruditos viros extollit, istud efficiunt, ut ipsæ brevi etiam felicitati hujus vitæ quasi medium aptum appareant. Fuerit sanè in sapientibus aliquis, cui laborum suorum studiorumque merces debita non sit impertita, quandoquidem etiam invidia prosperitati eorum, atque gloriæ obstiterit. At Diogenis celebranda memoria nunquam oblivione delebitur. Aristidis, Socratis, Senecæ laus ulla unquam obliteratione marcescet. Videte, igitur, ut quam mercedem tollat adversitas recens posteri-



tas vindicet, et honor posthumus sempiterna memoria rependat.

Nobis certe verendum non est fore ut nos fugæ mandemus, atque in Diogenis solitudinem abire cogamur: nec testularum ostracismum decerneutium nomen nostrum inscribendum esse putemus; nec, quod multo est ineptius, cogitemus ad cicutam propterea damnandos, quod vera protulimus, quæ mortalium omnium non possint, quin refferant, cum is, cujus est charæ hujus nostræ Patriæ beneficia impertire, Protector Scientiarum appellari voluerit, et hoc quidem nomen eximium, atque illustre eisdem operibus commendatum esse videamus. Testantur id omnes ad unum ejus Monarchiæ populi: testantur finitimæ nationes, quarum sinu ab eodem Iberiæ benemeriti filij honore afficiuntur, ab eoque liberalissimis præmiis donantur. Testatur etiam hæc nobilissima Urbs; testatur denique hæc ipsissima Academia. Vos item appello, studiosi adolescentes, adestis enim testes, quanti haud sane diu fuerimus habiti, quantoque honore nuper affecti.

Mihi vero non licet temporalia omnia earum scientiarum commoda exponere, quarum disciplina hæ Aulæ redundant. Potiora adhuc sunt, quæ conscientia animi mentibus nostris obvertit.

Haud dubia res est fortunas civiumque vitam, ex jurisperitorum vitam pendere. ¶ Eheu! Quam multi inopia rerum omnium sese nunc sentiunt esse confectos! nec alia hujus causa, quam inscitia fuit. Vidimus profusos miserorum fletus jacentium ad pedes ignari judicis eos extorquentis: nec semel fortasse vidimus admisto lacrimis cibo vescentes eos, quibus antea fortuna arridebat. Haud satis. Quotiescumque mihi venit in mentem eorum insontium imagines, quos fatalis sententia ad ignominiosam mortem arripuit, eorum mihi videor audire mæstos clamores, et objurgationes has terribiles: „Immanes! Si quando sub scelerati pedibus terra dehiscere posset, jam diu vos deborasset.

De his autem quarum vel minima incogitantia mortem affert: ¶ Quid loquar? Possuntne ibi æquo animo esse ubi, aut filium secum loquentem intelligant, et ab eis queri se optimo fuisse orbatum parente: aut tabescentem lacrimis sponsam videant exanimem virum lugere: aut parentes contenta voce sibi repetere filium senectutis suæ levamen, atque subsidium? Horrenda ista sunt mala, quod reparari nequeant.

Superest adhuc, ut de formidando præ omnibus ministerio dicamus; eorum nempe qui sacris fuerunt Aris adscripti. Cum aggredienti mihi hoc

munus exponere in mentem subeat Divini Spiritus Sacrum illud eloquium "Labia Sacerdotis continent scientiam, et populi de ore ejus requirunt" paveo, et obstupeseo: ac jure id equidem. Ibi etenim ignarum cerno convitio obruptum, æternisque suppliciiis mactatum. Quomodo enim cæcus cæcum ducet alterum, quin uterque in puteum decidet? Quandoquidem profunda mortis, et silentia æternitatis regna mortalibus panderentur, impræcationes innumeræ vivorum quietem ob suorum munerum imperitiam dirumperent. Sed frustra immoramur dum tam disitos testes revocamus, et quærimus. Distorqueamus oculos ad tot devias, et errantes conscientias, quæ profecto hoc idem nobis testificantur, et probant. Animadvertere est, proh dolor! ratione præditorum, et intelligentium, turbas ignorantium quæ suæ sunt partes. Nulla tamen his molestia nulla sollicitudo.

Si autem inhærentia muneribus nostris officia mente percurramus, innotescet quantumque scientiis incumbere nobis oporteat. Sciendum namque est jurisperito, quid ad quemcumque civem ex divisione rerum pertineat. Quam latum hic patet studiorum æquor! Et vero naturæ atque Gentium jura percalleat necesse est. Quis autem nisi vi Superum altum adeo Pelagus

conscendere valeat? Undequaque mortalis infirmitas mille præjudiciis obnoxia impedimentâ diffundit.

Adeatur enim gentium omnium història quæ vel fuerint olim per orbem dispersæ, vel extant etiam nunc; compertum quippe erit nihil tam turpe aut à ratione dici absonum posse, quod non à quibusdam fuerit assertum, imo etiam vindicatum, atque admiratione dignum existimatum. Quæ cum ita sint æritne cuique facile pervium, æquum, bonumque ab iniquo maloque secernere? Disciplinæ hujus professor memoria teneat necessum est, et alta mente reponat statuta, et decreta summæ illius auctoritatis, quæ Rempublicam, cujus est civis, moderatur, et regit, cum ex ejus prudentia utiles, aut noxiæ dicendæ sint leges, præsertim quæ poenis cohibent, et supplicia præscribunt. Quis autem poterit inscius eas, prout æquum est integrè exponere cum ab earum consummata notitia quam maxime abhorreat? Nec miretur si jurisconsultus istiusmodi fuerit unquam justitiæ simul, et injustitiæ Patronus.

Est autem medicam artem profitentis hominem morbo correptum sanum efficere, at præclarum id opus nequit ullus præstare nisi corpus humanum introspexerit, cunctasque pene-

tret ejus partes, et harum functiones conservationi ejus deservientes. Sed optatissimam hanc cognitionem attigit aliquis? Perspiciendæ ipsi sunt rationes, quibus implexæ illius machinæ turbans ordo sit reficiendus. Noscendum item non omnibus, quæ terra gignit easdem ubique inesse virtutes; nec omnia corpora eisdem polle-
re naturis; nec eadem iisdem proprietatibus fungi, cum diversam agunt ætatem, aut alia tempora subeunt, aut vario sub cœlo degunt. Inde meherculè natum vulgatisimum illud celeberrimi Senis "Ars longa vita brevis."

Denique Sacrorum Minister, et Medici, et Judicis, et Pastoris officio in spiritualibus fungitur, utque illud adimpleat, opus sibi est, ne quidquam eum fugere de his, quæ revelationis lumen affulgens inspiravit hominibus ad eorum salutem, et beatitudinem. Sacræ nimirum litteræ, traditionumque campus latissimus, illarum interpretes fidi, ac venerandi patres Sinodorum consulta, Ecclesiæque leges fons sunt cognitionum hæc de re inexhaustus, quem nulli hominum ingenio, quantumque nitatur, ebibere, exhaustireque continget. Et si cujusque horum vel levissimam partem scrutari conemur, videbimur forsitan quasi vastissimum antrum ingressi, casu tantum ducti comite, non alio præeunte.

Unde vere, meritoque lyricus ille Poëta præscripsit: "Qui cupit optatam cursu contingere metam, multa tulit, fecitque puer, sudavit, et alsit." Quodsi his adjungam sensuum defectus, inconstans humana voluntas, sensibilibus cupiditatum illecebræ, ac ex his ortæ animi nostri abstractiones propemodum infinitæ, dignam profecto scientiis rationem perspectam habebimus. Scio equidem æquissimam de illis sententiam ab eis esse ferendam, quicumque recto utantur, integroque judicio. Novi optimè nequid horum omnium vos præterire; verumtamen dum vos excitare contendo, atque ut susceptam à vobis studiorum rationem prosequamini suadeo, nihil horum arbitror mihi esse omittendum, quibus honestum adeo finem obtinere, et ad laudem properare possitis. Qua de causâ duo tantum sunt mihi dicenda ad summam unam omnia referenti consilia, quæ hoc ipso in loco sæpissime forsitan audistis.

Atque illud in primis vos admonebo assidua perseverantia etiam hebetudinem vinci. Quot enim, quibus natura vires et ingenium denegasse videtur, sedulitati studentes, nec parentes labori rudem ipsam naturam correxisse noscuntur? Qualis gutta sæpe cadens, tametsi durum lapidem cavat, sic toto animo enitens, totisque ner-

vis incumbens suam tandem ineptitudinem minuit. Libenter istiusmodi prodigiorum exhiberem historiam, ni ratione constaret assiduitatem perficere sensus, acuere mentem, et animum sensibilitate carentem sensibilem redere: facultates ingenii à simplicitate aberrantes in unum perducit objectum, et unum scopum collimare constringit: quæ sint nobis utilia seligit, atque illa sic ex ordine collocat, ut temporis quam plurimum redimat, et nos innaniter sumpto labore mirum in modum exoneret. In longum hæc progredetur oratio, si effectus omnes ab assidua constantia præstitos sigillatim vellem perstringere, eorumque in litterarum curriculum certissimum influxum perpendere. Hoc affirmare sufficiat, assiduitate detracta, nequidquam horum lyceorum vos limina attingere.

Quid vero commemorem quantum ad rem conferat probitas morum, et integritas cordis cupiditates nostras in bonum coercens? Spiritum Sanctum dixisse comperimus: "in malevolam animam non introibit sapientia, nec in corpore subdito peccatis" ac eodem dictante fuit pronuntiatum "corpus quod corrumpitur aggravat animam et deprimit sensus multa cogitantem." Et verè: nam corrupti mores omnia pervertunt. Cum enim frequentes animi perturbationes sub-

moveant, ipsius attentionem impediunt, et obsunt quominus verum quodvis diu consideret, et omnes ejus respectus possit inspicere. Cum nihil eum, nisi quod afficit sensus alliciat, quomodo aperiet occulta misteria quibus amat natura celari? Quomodo autem excutiet abditas leges quibus Religio abscondi desiderat? Simulatque in flagitia vita prolabitur, collabuntur item organa sensuum, corrui cerebrum, mentis præcipuus minister, hebescitque ipsemet animus, dum vult operari. Breviter: furiosa libido corpus dissolvit, animumque virilem effeminat.

Jure optimo, igitur, religiosissimus Princeps, Monarcha verè Catholicus, statuta deernens, ac modum quibus hæ Aulæ sint moderandæ, sancendum curavit, ut earum Alumni certis quibusdam diebus conscientias suas purgarent à crimine: nec immerito pœnas, quibus improborum licentia coerceretur indicens, celebratissimi hujus cœtu Præpositis sollicitudinem injunxit, atque in studentium mores, ut sedulo invigilarent præcepit. Perspicuum enim est animum ab sceleribus purum in seipso reperire solatium, ac proficendi rationem; quippe otium contemnens, ac devitans sibimet veluti legem commoditatis imponit eo minus observatu difficilem, quod à seipso imperata proficiscatur.

Audite ergo commendationes has non aliunde profectas quam ex vehementissimo mei erga vos, et prosperitatem vestram studio. ¡O ego felix! Si tanta in vobis esset benignitas, et his quæ dixi tam diligens attentio, ut mea voce permoti, nulla unquam vis de proposita sententia vos posset depellere. Sin autem tanti illam esse habendam confidere nequeam; ¿at certæ Patriæ, quæ communis est omnium nostrum parens, vos tacitè alloquentis, postulantisque ne ingenia vestra disperdi, et quasi in auras abire patiamini aut iudicium sequi, aut vocem exaudire nolletis? ¡O utinam redeant aurea illa sæcula quibus toto orbi se præbuit admiratione dignam, et exoptata illa dies quam primum illuceat. Sit nomen hispanum idem quod olim proferebatur.

Atqui veneranda Religio fortissimis viris, et strenuis militibus indiget, qui eam tueantur, et protegant ab infernis arietibus, quibus illam malevolus et discors Spiritus nunc temporis insecatur, et concutit. ¿An in tantis malis erit nobis apathia? ¿Num talia patiemur? Denique percelebris hæc Pintiana Academia ab antiquo splendore, quo semper est delectata non vult unquam decidere. Nefas id cogitare. ¿Quænam turpitudinis, et infamiæ nota ætati nostræ non esset inusta, si gloriam qua fuit prædita quondam,

quaque in celebratissimis terræ Academiis adhuc nominatur et fulget obscurari nostra sineremus incuriâ? Vitandus nobis tunc esset eorum aspectus, præsentiaque virorum, quibus in hisce met Claustris accessit eminens inter omnes Cives splendor, atque honos, et acreverunt quas fuere emeriti laudes. Contra ¡quam esset decorum posse aliquando et simul audire, simulque proferre “Et nos his astitimus aulis!”

¿Quis ergo hebes adeo stiterit, qui suæ utilitati, commoditative, et vitæ non consulat? ¿Quis adeo scelestus qui conscientiæ morsibus non attendat? ¿Quis imprudens, qui à scientiarum studio abhorrens scientiarum cultorem vellit nominari? ¿Quis tandem Patriæ, Religionis, et Academiæ matris vocem contemnere erit ausus?

Observate, igitur, Carissimi, animis vestris quas obtuli gratas imagines, cogitationibus his delectamini, nec à tam dulci expectatione abhorreatis donec laureis debitis tempora vestra cingantur. DIXI.

paxque in celestibus terra Academiis alius
 nominatur et filij obsequii nostri in
 incerta? Vnde nos tunc esse certum aspe-
 rit, presentibus vicibus in hunc
 motu Civitas accessit cuius inter cetera Civis
 splendor, alio honore et severum plus hunc
 emerit hunc. Contra quam esse deorum posse
 aliquid et simul ardere, annuque profero
 "Et nos his actibus nihil"
 Quis ergo hunc adeo aliarum, qui sua ali-
 illi, communitate et vix non consulas? Quis
 adeo sceleris qui conscientia invidiam non
 attendat? Quis impudens, qui a sceleratum
 studio spherens sceleratum cultum, illi
 nominat? Quis tandem Patria? Religiosa; et
 Academiae matris vocem contemnero esse avaras?
 Observate, igitur, Christiani, culmine vestris
 quas obit gratas inagines, cogitationibus his
 doleantini, nec a tam dulci expectatione spher-
 rentis donec lauris debitis tempora vestra cin-
 gantur. Dixit.

